

Hochschule für Musik und Tanz Köln - Hochschulbibliothek

Officium in sabbato sancto

s.l.

Ad Tertiam.

[urn:nbn:de:hbz:kn38-8204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:kn38-8204)

Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum: Qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

AD TERTIAM.

Dictis secreto, Pater noster, et Ave María, absolute inchoatur a Psalmis sequentibus.

PSALMUS.

LEGEM pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum: * et exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, et scrutábor legem tuam: * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum: * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua: * et non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquiúm tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspi-cátus sum: * quia iudícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine: * salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum: * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque: * quia in judiciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper: * in sæculum et in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine: * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in testimoniis tuis in conspéctu regum: * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi: * et exercébar in justificatióibus tuis.

MEMOR esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea: * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi inique agébant usquequáque: * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum a sæculo, Dómine: * et consolátus sum.

Defectio tenuit me, * pro peccatoribus
derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ: *
in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui, Domine: *
et custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi: * quia justificationes
tuas exquisivi.

Portio mea, Domine, * dixi custodire le-
gem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde
meo: * miserere mei secundum eloquium
tuum.

Cogitavi vias meas: * et converti pedes
meos in testimonia tua.

Paratus sum, et non sum turbatus: * ut
custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me: *
et legem tuam non sum oblitus.

Média nocte surgébam ad confitendum
tibi, * super iudicia justificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timéntium
te, * et custodiéntium mandata tua.

Misericórdia tua, Domine, plena est ter-
ra: * justificationes tuas doce me.

BONITATEM fecisti cum servo tuo, Dómine,*
secúndum verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam
doce me: * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsqvam humiliárer, ego delíqui: * pro-
ptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu: * et in bonitáte tua doce me
justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas super-
bórum: * ego autem in toto corde meo scru-
tábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum: *
ego vero legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me: * ut di-
scam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super millia
áuri et argénti.

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt
me: * da mihi intelléctum, et discam man-
dáta tua.

Qui timent te vidébunt me, et lætabún-
tur: * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia
tua: * et in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me,*
secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miserationes tuæ, et vivam: *
quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me: * ego autem exercabor in mandatis tuis.

Convertantur mihi timentes te: * et qui novérunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, * ut non confundar.

Deinde dicitur flexis genibus, *ψ*. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem: mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Et dicitur secreto, Pater noster, *postea Psalmus, Miserere p. 39.*

Oratio.

RESPICE, quæsumus Dómine, super hanc familiam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre tormentum: Qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.